Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26214
Copyright: Admont, Benediktinerstift

multiloquium in corde tolerant, ut eo plus cogitationes in mente ferveant, quo illas violenta custodia indiscreti silentii angustat. Et plerumque tanto latius defluunt, quanto se esse securos aestimant, quia foris a reprehensoribus non videntur. Unde mens nonnumquam in superbiam extollitur, eosque quos loquentes audit quasi infirmos conspicit. Cumque os corporis claudit, quantum se vitiis superbiendo aperiat non agnoscit. Linguam etenim premit, cogitationem erigit. Et cum se per negligentiam minime considerat, tanto apud se cunctos liberius, quanto et securius accusat. Plerumque autem nimis taciti cum nonnulla iniusta patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, quo ea quae sustinent non loquuntur. Nam si illatas molestias lingua tranquille diceret, a conscientia dolor emanaret. Vulnera enim clausa plus cruciant, quia cum putredo quae intrinsecus fervet eicitur, ad salutem dolor aperitur. Plerumque nimis taciti dum quorundam mala respiciunt, et tamen in silentio linguam premunt, quasi conspectis vulneribus usum medicaminis subtrahunt. Eo enim mortis auctores fiunt, quo virus quod poterant eicere loquendo noluerunt. Unde et immoderatum silentium si in culpa non esset, propheta non diceret: Vae mihi quia tacui. Quid ergo inter haec nisi studiose lingua sub magni moderaminis libratione frenanda est, non insolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab utilitate torpescat. Hinc namque per quendam dicitur: Sapiens tacebit usque ad tempus, ut nimirum cum opportunum considerat, postposita censura silentii loquendo quae congruunt in usum se utilitatis impendat. Hinc Salemon ait: Tempus tacendi, et tempus loquendi. Discrete quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora,